

flico, et morali Genealogiae Ser-  
uatoris. Successu temporis spatii

*Signa crucis. textus. frons. os et denique pectus  
Accipito et causis singula redde suis.*

*Predicat ille crucem. remouet crucis illa pudorem.  
Os petit errorem, pectus abesse dolum.*

*Textus formula est, quam pro-  
fert, qui se cruce signat, atque  
Textus ille crucem praedicat. Tò  
illa frontem notat. Reliqua patent.  
Subjicitur Oratio: Presta quesumus  
domine huic famulo tuo dignum pe-  
nitentiae fructum. ut ecclesie tue  
sancte a cuius integritate deuiaue-  
rat peccando. admissorum ueniam  
consequendo reddatur innoxius. At-  
que haec manu Codici coaeva.  
Serius accessit ead. p. *Legenda de  
sancto Zenone episcopo* distributa in  
VI. Lectiones, quarum initium: *In  
diebus Galieni imperatoris in pro-  
vincia ytaliam erat beatus Zeno se-  
dens in monasterio in secretiori par-  
te opidi veronensis &c.* et finis: *in-  
tus aqua minime intrauit. Tu au-  
tem domine &c.* Manifeste con-  
tractae sunt hae lectiones e Vita  
Zenonis scripta a Coronato Nota-  
rio post plures Editiones exhibita  
ab Henschenio in *Act. SS. T. II.  
April.* ad diem 12. p. 70. Item  
*fol. 2.* absque ulla inscriptione Vi-  
ta S. Gothardi Ep. Hildesensis,  
cujus initium: *Gothardus confessor  
domini et Episcopus venerandus  
iuxta Altaense monasterium ex e-  
iusdem ecclesie familia &c.* Gode-  
bardi Vitam a Wolfherro discipu-  
lo scriptam post Browerum edi-  
dit idem Henschenius *T. I. Maji**

vacuis Codicis alia adscripta sunt.  
Ita p. 1. legas:

ad diem 4. p. 502. fed. fusiorem  
illam; praemittit vero, duo etiam  
apud se esse ejus *Compendia*, quo-  
rum alterutrum facile fit praefens  
nostrum, quod per tres exaratum  
columnas et *fol. 3.* abruptum com-  
pletur demum *fol.* Codicis *ult.* his  
verbis: *in manibus torturas et gyp-  
pos omnibus videntibus monstrabat.*  
Quae *l. cit.* leguntur Vitae C. 5.  
n. 33. p. 513.

## LXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 60  
XIII. Folior. 50. 4. per tres co-  
lumnas bene scriptus, et olim, ut  
Formula typis excusa in fronte  
docet, anno videlicet 1540. ab  
Job. Fabro Vien. Ep. donatus Stu-  
dentium Collegio, quod ad D.  
Nicolqum condiderat, continet E-  
uangelium Matthaei ita, ut Co-  
lumna media Textum ipsum gran-  
diusculum cum *Glossa interlineari*,  
laterales vero *Glossam ordinariam*  
fistant jam ampliorem, jam vero  
contractiorem ea, quam nunc in  
*Bibliis glossatis* impressis legimus.  
Expositio in praevium Hieronymi  
Argumentum: *Matthaeus ex Ju-  
daea sicut in ordine primus ponitur  
&c.* plane a dictis *Bibliis* abest,  
et incipit: *Cum multi scripssisse e-  
uange-*

uangelia legantur. foli III<sup>r</sup> euangeliste matheus. marcus. lucas. iohannes apud maiores nostros pondus auctoritatis comprobati sunt obtinere &c. neque Autoris mihi noti est.

LXXXIX.

R. 1636 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. caractere grandi eleganter exaratus, auro coloribusque distinctus, priusque Bibliothecae Civicae Vindobonensis complectitur S. Matthaei Evangelium utraque Glossa, tam ordinaria, quam interlineari Textum diversimode, concinne tamen circumdante stipatum. In anteriore Theca et fol. contiguo comparet Annus 1381. decembris 5<sup>o</sup>. et Tabula adcurate exhibens, quid ex isthoc Evangelio, et quo die per annum in Ecclesia legatur. Huic Tabulae praegrandibus literis subscriptum est: *Is liber spectat Carnario Cimiterij S. Stephani Wien.* quod theca posteriore continuatur sic: *anno Mille<sup>o</sup> quadrin<sup>o</sup> XLIII<sup>o</sup>.* Vides *Carnarium* aliud esse a *Coe-meterio*, dicendum potius *Offarium*, in quo videlicet Offa diu sepulta, ut recentibus cadaveribus locum facerent, e tumulis eruta, praecipue Calvariae, per ferias erigebantur. Sacellum, et fortasse D. *Magdalenae* nunc terrae aequatum, *Carnario* adfuisse, et in hujus Vestiario, vulgo *Sacristia*, ut mos erat, Codicem nostrum cum aliis servatum fuisse, credibile est.

Additum est huic Codici Evangelium Nicodemi, quod Sec. XV. 16. foll. scriptum incipit: *Factum est nono decimo Teberii cesaris imperii romanorum et Herodis imperii gallilee Anno XIX principatus eius VIII Kalendis aprilis hoc est XXV die mensis Marcii consulatus Rufi vellionis &c.* Unum Exemplar Vol. I. P. I. col. 453. recensitum dedi hujus spurii Foetus, et hoc Vol. jam istud tertium refero. Habet ad calcem *Pilati Epistolam* priorem, eique Fabulam adnectit de *Tiberio aegroto spe valetudinis recuperandae Volusianum ad Christum Hierosolymas ablegante*, qui cum intelligeret, eum a *Pilato* morti traditum, Praesidi exitium accersivit. Nihil de hac Fabula reperi in *Cod. Apocr. N. T. Fabricii*. Ceterum confer, quae de ipso Evangelio ad alia Exemplaria dixi, et *Phil. Jac. Lambacherus* in *Bibliotheca antiqua Vindob. Civica* 1750. 4. edita de hoc Codice p. 26. commentatus est; neque enim aut res, aut effrenis Librariorum licentia, qua in trajiciendo et corumpendo textu usi sunt, plura meretur.

XC.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2220 XIV. Folior. 78. f. min. columna angusta media luculente exaratus, minutius vero inter lineas et in marginibus, olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*, S. *Matthaei Evangelium* exhibet Glossa tam